

alimenta accipiebant ex communi Ecclesie matris arario, in quod omnes particularium Ecclesiarum oblationes inferebantur, ut ex eo clerici universi suas portiones acciperent.

(2. Alterum est, omnium ecclesiasticorum reddituum curam et distributionem ita episcopo fuisse commissam, ut, hæc magna pars fuerit ipsius muneris, atque officii. Id disertis verbis statutum videas cum in canonibus, quos *Apostolicos* dicimus can. 31 et 33, tum in *Constitutionibus Apostolicis*, lib. xi, cap. 25. Satis sit duos Antiocheni concilii canones recitare, 24 et 25. In illo legimus: « Ea, quæ sunt Ecclesie, administrari convenit cum iudicio et potestate episcopi, cui et omnis populus creditus, et eorum animæ, quæ in ecclesiam conveniunt; » in hoc: « Episcopus habeat rerum ecclesie potestatem, ut eas in omnes egentes dispense cum multa cautione, et Dei timore. » Hinc Gangrense concilium, can. 8, anathemate eum percudit, « qui vult fructus ecclesie datos accipere, vel dare extra ecclesiam, præter episcopi sententiam. »

(3. Primis Ecclesie sæculis episcopi in ecclesiasticorum reddituum administratione archipresbyteri, sed potissimum archidiaconi opera utebantur. Quare concilium Carthaginense iv, can. 17, sancivit, « ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat. » Eiusmodi munere S. Laurentius, Romanæ Ecclesie archidiaconus, quanta fuerit fidelitate perfunctus, docent Prudentius in hymno de eodem S. Laurentio; Ambrosius, lib. ii, *De officiis*, cap. 28, et Augustinus serm. 121 *De diversis*. De Cæciliano autem idem Augustinus in *Brev.*, collat. 3, tradit eum a Donatistis fuisse accusatum inter cætera « quia, cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisset. »

(4. Quarto deinde, et quinto sæculo, cum ecclesiarum redditus auferrentur in dies, episcopi vero et archidiaconi gravioribus negotiis implicarentur, placuit, ut ad eorum reddituum curam et dispensationem ministri instituerentur *œconomorum Ecclesie* nomine, quibus id officii demandaretur. Episcopi erat œconomum ex suo clero designare. Certe Ibas episcopi Edessenum œconomorum, quos ipse ordinaverat, cura sua Ecclesie bona administrasse, docet fragmentum concilii Tyrii a. 448 habiti, recitatum concilii Chalcedonensis act. 9. Gennadius quoque Constantinopolitanæ Ecclesie episcopus, et Acacii successor Marcianum œconomum præfixit, ut Theodorus lector scribit lib. i, n. 13.

(5. Alicubi tamen œkonomi ab universo clero communibus suffragiis statuebantur. Certe Theophilus Alexandrinus episcopus in epistolis suis canonicis apud Beveregium can. 9 statuit, « ut totius sacerdotalis ordinis sententia alius renuntiatur œconomus, in quo Apollo episcopus consentiat, ut

bona Ecclesie in ea, quæ oportet, impendantur. »

(6. Inter causas, ob quas œkonomi constituti fuerunt, ea præcipua fuit recta reddituum dispensatio; tum illa, ne episcopi eorumdem dissipatorum nomine a laicis, vel etiam a clericis accusarentur. Quare cum Ibas, de quo n. 4 fuisset a nonnullis dissipatorum Ecclesie Edessene reddituum insimulatus, « placuit illi in Tyria synodo ex propria voluntate promittere, quod de cætero secundum formam Antiochenæ maximæ civitatis gubernarentur res per œconomos ex clero ordinatos a sua religiositate. » Eadem de causa Chalcedonense concilium, can. 26, decrevit, « omnem Ecclesiam episcopum habentem ex proprio clero œconomum habere, ut nec sine testibus sit Ecclesie administratio, nec ideo res ejus dissipentur, et probrum, et dedecus sacerdotio inuratur. »

(7. Presbyteri, ut plurimum, erant œkonomi in Orientali Ecclesia. Sic Charisii presbyteri et œkonomi Philadelphie mentio occurrit in Ephesino concilio, act. 4, uti et Proterii, qui Alexandriæ cum presbyter antea et œconomus fuisset, episcopus fuerat creatus. Chalcedonense quoque concilium de Dioscorigo depositione litteras dedit ad Chamosynum *presbyterum et œconomum*, ad Euthalium archidiaconum, et ad alios clericos Alexandrinos. Interdum tamen œkonomi occurrunt nondum presbyteri; Liberatus certe diaconus *Breviar.*, cap. 16. Joannis Talajæ meminit, qui « ex œconomio presbyter factus erat Tabennesiots. . . factusque est iterum œconomus habens causas omnium Ecclesiarum. » Vignit hæc disciplina in Orientali Ecclesia ad sæculum xi. Tum etiam laicos constitutos œconomos legimus. Confer Thomassinum p. iii, lib. ii, cap. 10, n. 8. Apud Latinos vero diaconis hoc munus tribuebatur.

(8. Oekonomi munera Theophilus Alexandrinus supra laudatus his verbis explicat; « ut bona ecclesie, ut decet, insumantur; viduæ, et pauperes, et peregrinantes hospites omni quiete fruantur, et nemo ea, quæ sunt Ecclesie, ut sua usurpet. » Plura addit S. Isidorus Hispalensis in epistola ad Laudefredum, quam tamen sunt, qui ei abjudicent. Neque omittendum quod ex concilio Chalcedonensi, can. 23, discimus, sede vacante œkonomi partes fuisse reddituum Ecclesie curam gerere, ut episcopo eligendo integri reservarentur.

(9. Erant tamen œkonomi episcopo ita subjecti, ut illi, tanquam supremo Ecclesie moderatori, rationem omnino reddere debuerint. Indicat id Hieronymus epist. 1 *ad Nepot.*, ubi ait: « Sciat episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi, curæque præficiat. » S. Augustinus certe, auctore in ejus Vita Possidio, omnes quidem suæ Ecclesie redditus per clericos administrabat, ne sigillo quidem, aut clavi, sibi reservato; statis tamen temporibus obitæ administrationis rationes ab iisdem postulabat. Vide

eundem Thomassinum p. iii, lib. ii, cap. 6, n. 14.

(10. Non perpetua fuit hæc œconomorum administratio. Quæ de Joanne Talaja ex Liberato n. 7 reddidimus, id palam faciunt. Ille enim dicitur *factus iterum œconomus*.

(11. Adde, in magnis Ecclesiis plures exstitisse œconomos. Hinc in Constantinopolitana Ecclesia *magnus œconomus*, summus scilicet inter œconomos, ex præcipuis erat dignitatibus, quem Simeon Thessalonicensis S. Stephani protomartyris et primævæ Ecclesie œkonomi successorem vocat.

(12. Cum tamen VII concilii œcumenici tempore pigritarentur in Oriente episcopi

## OFFICIALES BELLICI.

Vid. verb. BELLUM, art. 3, per tot.

## OFFICIUM DIVINUM

## ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ejus nomen, originem, divisionem et obligationem.

## SUMMARIUM.

1. Officium modo appellatur divinum, et quare?
2. Modo vocatur ecclesiasticum, et quare?
3. Modo vocatur canonicum, seu horæ canonicæ, et quare?
4. Modo vocatur breviarium, et quare?
5. Modo vocatur orarium, et quare?
6. Unde officium divinum seu ecclesiasticum, vel breviarium, aut orarium, seu horæ canonicæ definiti possunt officia quædam, etc.
7. Usus divini officii, ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimum in Ecclesia catholica, et jam a tempore apostolorum inchoatus, atque celebratus.
8. Qui dicunt horas canonicas cœpisse a SS. Damaso, Gelasio et Gregorio primis, intelligendi sunt, quod a dictis Summis Pontificibus cœperint quoad novam et reformatam formam ipsas recitandi.
9. Formula moderna recitandi horas canonicas, seu divinum officium, fuit potissimum tradita a nostris Francisianis, et deinde a Sede Apostolica pro ipsa Ecclesia Romana suscepta.
10. Affertur summarium constitutionis S. Pii V, incip. *Quod a nobis*, editæ pro reformatione et editione Breviarii Romani.
11. Affertur ad id summarium constitutionis Clementis VIII, incip. *Cum in ecclesia*.
12. Affertur ad id summarium constitutionis Urbani VIII, incip. *Dirnam psalmodiam*.
13. Officium divinum dividitur in nocturnum et diurnum.
14. Per officium nocturnum quid intelligatur?
15. Per officium diurnum quid intelligatur?
16. Totum divinum officium dividitur in septem partes, seu septem horas canonicas, quæ enumerantur.
17. Assignatur mystica ratio hujus septenarii numeri horarum canonicarum.
18. Obligatio recitandi divinum officium seu horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet sacri ordinis, beneficii ecclesiastici, et religionis choro adstrictæ.
19. Titulo sacri ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium omnes subdiaconi, diaconi et presbyteri, quanvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti.
20. Obligatio recitandi horas canonicas incipit a prima die, et hora suscepti subdiaconatus.
21. Clerici in sacris constituti tenentur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, interdicti et suspensi.
22. Idemque plurimi censent de degradatis.
23. Quid sentiendum de damnatis ad tirremes, in

in œconomis sibi eligendis, statuit concilium, ut si ab iis instituendis cessarent metropolitani, in eam curam Constantinopolitanus patriarcha succederet; si episcopi, suppleret metropolitanus; si abbates, episcopus.

(13. In Ecclesia Græca adhuc sæculo XIII residui erant œkonomi, ut ex actis Lugdunensis concilii a. 1254 constat. Verum in Latina Ecclesia, postquam mensæ communis honorum partitio facta est inter canonicos, œkonomis nullus superfuit locus. His tamen thesaurarii, camerarii, vicodominii in canonicorum collegiis successerunt. Adi et hic Thomassinum p. i, lib. iii, cap. 70, n. 6, seqq.

carceratis, et captivis apud infideles? — 24. Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem, tenetur adhuc probabiliter ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem pontificiam. — 25. Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium seu horas canonicas beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, sive non curatum. — 26. Et quando incipiat dicta eorum obligatio. — 27. Imo tenentur beneficiati ad recitationem divini officii, etiamsi summ beneficium sit tenue, si scienter illud acceptaverint. — 28. Item tenentur ad recitationem divini officii habentes præstimonia et præstimoniales portiones. — 29. Clerici percipientes portionem ex beneficio ecclesiastico tenentur recitare officium B. M. V., nisi recitent ipsum officium divinum. — 30. Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum officium sine impedimento et culpabiliter non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis. — 31. Beneficiati tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam et declarationem iudicis. — 32. Neque talem restitutionem compensare possunt beneficiati per eleemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenentur ad horas canonicas. — 33. Pro recitatione tamen ob neglectas horas satis est post illud tempus, a quo beneficiarii omiserint, dare eleemosynam, etiamsi non cogitent de debito, neque intendant dare in exsolutionem suæ obligationis. — 34. Possunt autem tales beneficiarii eleemosynas ob omissionem horarum debitas pauperibus, sibi applicare, si vere sint pauperes. — 35. Obtinentes beneficia, v. g. præposituras, personatus et hujusmodi, quibus ex speciali sua erectione solum annexa est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio, cum expressa conditione quod capellanus ratione capellanæ non sit obligatus ad horas canonicas, eximuntur ab opere recitandi divinum officium, et consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis. — 36. Item a tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat, quominus de facto aliquos fructus percipere possint. — 37. Titulo religionis professæ choro adstrictæ obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes, ac singuli regulares (exceptis novitiis ac laicis seu conversis), qui profitentur religionem choro adstrictam et hoc ratione generalis consuetudinis in omnibus

religionibus choro addictis cum tali obligatione receptae. — 38. Novitii et laici, seu conversi ad id non tenentur. — 39. In illis autem religionibus, ubi propria regula obligat laicos seu conversos ad consimilium precum recitationem et hujusmodi, ut in religione minorum, laici seu conversi ad illas tenentur, sicut ad alia praecepta propriae regule. — 40. Item sub mortali obligantur ad recitationem divini officii, sive publice in choro, sive privatim omnes, ac singulae moniales choro addictae ratione consuetudinis obligantis sub mortali: quamvis ad id non sint obligatae ex vi regulae, aut voti. — 41. Excepiuntur tamen novitiae et conversae, de quibus discurrendum est, ac de novitiis et conversis regularium. — 42. Obligatio recitandi divinum officium in choro incumbit toti communitati, monasterio, capitulo, ita tamen ut primario, et ex officio incumbat praelato seu superiori, qui peccabit graviter, si ex ejus culpa officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur. — 43. Secundario talis obligatio incumbit subditis, ita ut, deficiente suo muneris superiore, etiam peccent mortaliter subditi, si ex eorum negligentia divinum officium praetermittatur, aut indebite persolvatur. — 44. Novitii soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt obligationi loco professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus communitatis, aut collegium. — 45. Ad satisfaciendum obligationi recitandi officium in choro sufficienti et requiruntur saltem tres. — 46. Obligati ad divinum officium, et choro addicti, licet extra chorum non teneantur diebus statutis recitare psalmos grad. nec poenitentiales, neque, etc., tamen in choro ex praecepto recitare debent. — 47. Religiosi fugitivi, seu apostatae, excommunicati, suspensi, et interdicti tenentur adhuc ad recitationem divini officii, licet non sint sacris initiati. — 48. Quid dicendum de religiosis condemnatis ad trimeses, incarcerationis, seu factis captivis ab infidelibus? — 49. Quid dicendum de religiosis degradatis? — 50. Quid de religiosis ejectis? — 51. Religiosus choriſta nondum in sacris constitutus, si ex privilegio Papae exeat a religione ad ducendam uxorem, non tenetur divinum officium recitare, nisi diploma aliud sonet. — 52. Idem probabiliter dicendum est de eo religioso nondum in sacris, qui obtinuit Pontificiam dispensationem perpetuo vivendi extra monasterium. — 53. Idem dicendum est de religioso nondum in sacris ex simili dispensatione Pontificia transeunte de clericatu ad statum conversorum, aut ad religionem, ubi religiosi non sint ad chorum professi, et obligati. — 54. Subnect. *Addit. ex aliena manu*, ad n. 53.

(1. Officium, modo appellatur divinum,

(127) Seu potius, quia debitum est quoddam, atque officium, quod duo persolvimus, preces nostras die noctaque dicendo. « Oremus, inquit in *Vita S. Pachonii* S. Hieronymus, psallamus, reddamus Deo officium. »

(128) Vel quia majores nostri tempus et horas, quibus officium persolvendum, ecclesiasticis canonicis definierunt.

(129) Malim ego sic dictum, sive quod vetus officium contractum fuerit, sive quod haec collectio sit quaedam omnium precum epitome, quasi *breve orarium*. Ceterum hoc Breviarium nomen adeo divulgatum erat Micrologi aeo (Vivebat autem is circa annum 1180), ut non solum cum de divino suorum temporum officio ageret, sed et de antiquis Ecclesiae libris, eos Breviarios, quemadmodum et nos hodie solemus, appellet.

(130) Antelucanos et vespertinos conventus celebrasse vel ab ipso apostolico aeo Christianos, in illisque psalmos, hymnos, precesque Deo obtulisse

ut cap. *Dolentes* 9, De celebratione missar., ibi: « Ut divinum officium, » et Clementin. 1, eod. tit., ibi: « Divinum diurnum et nocturnum officium: » quia ad Dei cultum est institutum (127); (2. modo vocatur ecclesiasticum, ut cit. Clementin. 1, De celebratione missarum, ibi: « Ecclesiasticum... Officium, » quia nomine Ecclesiae persolvitur; (3. modo vocatur canonicum, seu Horae canonicae, quia fit juxta regulas sacerorum canonum (128); (4. modo vocatur Breviarium, quia est breve et admirabile compendium Veteris et Novi Testamenti, Patrum sententiarum, et vitae sanctorum (129); (5. modo vocatur Orarium ab orando, quia magna ejus pars constat variis precibus seu petitionibus fuis ad Deum, et potissimum Deum oramus, et precamur per ipsum.

(6. Unde officium divinum, seu ecclesiasticum, vel Breviarium, aut Orarium, seu Horae canonicae definiiri possunt, « Officia quaedam divina ex psalmis, hymnis, canticis, sac. Scriptura, et doctrina sanctorum Patrum constructa, atque ex sacerorum canonum decreto a personis ecclesiasticis Ecclesiae nomine, certis diei noctisque horis persolvenda ad Deum, » prout tradit Sporer, tom. III *Theolog. sacrament.*, appendice *De obligatione recitandi horas canonicas* quaest. praefata num. 2. Vel ut brevius tradit Layman, lib. III, trac. 1, cap. 2: « horae canonicae, ac statutae preces ex sacror. Canonum decreto ab ecclesiasticis personis nomine Ecclesiae ad Deum persolvendae. »

(7. Usus divini officii ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimus in Ecclesia catholica, et jam a tempore apostolorum inchoatus atque celebratus; et colligitur ex illo *Actorum* VI, ibi: *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*; et *Actor.* X, ibi: *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam*; et *Actor.* XVI, ibi: *Media nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum* (130); et probat etiam illud S. Clementis Papae I, l. VIII, *Constit. Apostolicar.*, canon. 34, sic expresse dicentis: « Precationes facite mane, hora tertia, sexta, et nona, et vespere, atque ad galli cantum (131). »

testatissima res est. Nec minus exploratum est, jam inde a primis Ecclesiae saeculis fideles hora potissimum tertia, sexta et nona, seu statis precationum temporibus, ducto ab ipsis apostolis exemplo, privatim orare consuevisse. Eas sane precum horas commemorant Tertullianus, *De jejunis*, cap. 5, et S. Cyprianus, *De orat. Dominica*. Nondum tamen, inquit Selvaggius *Antiquit. Christian.*, lib. II, c. 9, p. 185, his horis publici in Ecclesia coetus habebantur; praesertim cum Epiphanius et Chrysostomus matutini, ac vespertini ecclesiastici ministerii quam sepiissime meminerint, nunquam vero illas canonicas horas commemo. aveint, nisi dumtaxat cum de monachis, eorumque institutis loquantur.

(131) Ex his constitutionum Apostolicarum verbis id solum argui potest, quarto jam saeculo, quo fuere primus illae sub apostolorum, vel Clementis I, nomine procusa, in Oriente, saltem in quibusdam ecclesiis, horas illas canonicas fuisse usitatas.

(8. Cum autem aliqui dicunt a S. Damaso, Gelasio, et Gregorio primis horas canonicas coepisse, intelligendi sunt, horas canonicas a dictis summis Pontificibus coepisse quoad novam et reformatam formam ipsas recitandi, prout notant passim scriptores, et colligitur ex notatis in initio nostri Breviarii Franciscani post bullam Gregorii IX incip. *Pio vestro collegio*, ubi sic praecise habetur.

(9. Breviaria autem a Gregorio IX pro ordine nostro sic approbata, formulam divini officii continebant, quae a SS. Damaso, Gelasio, et Gregorio primis pro S. Romana Ecclesia constituta, et a S. Gregorio VII reformatam exstiterat, diuturnitate tamen temporis jam ab antiqua institutione deflexerat, et opera Haymonis Anglici generalis ministri ad praescriptum moderniorum decretorum S. Sedis tunc restituta fuerat (132).

(10. Eaque propter hujusmodi formula Deo persolvendi sacras preces, laudes, et gratias, sic restituta, officisque Conceptionis B. M. Virginis, et aliorum sanctorum a S. Bonaventura subinde aucta, adeo Sedi Apostolicae placuit, ut, testantibus Radulpho Tungrensi, Palmerio, Gavanto, et Card. Bona cum innumeris aliis sacris scriptoribus, a Nicolao III anno 1277 ad Pontificatum assumpto pro ipsa Ecclesia Romana postmodum suscepta, ac sancita comperiat.

(11. Hanc deinde temporum injuria, aliisque de causis variatam, in pristinum statum ex decreto Tridentinae synodi restituit S. Pius V sub rubricis praesertim, ac ritibus, regulisque pro ordine nostro a Romanis Pontificibus Nicolai III successoribus usque tunc approbatis, et contentis in directorio divini officii prius pro ordine nostro edito, in cujus commendationem id testatum idem Gavanto reliquit, quod innunt ejus infrascripta verba: « Paucissimi tamen erant (inquit de rubricis appositis in reformatione Piana) earum tituli, nempe undecim tantum in prima editione jussu Pii V hausti e directorio divini officii, composito a Ludovico Ciconioliiano regularis observantiae, sub Paulo III qui et directorium approbavit. » Praedictae tamen restitutioni, seu reformationi suam operam addidere impensissimam Clemens VIII et Urbanus VIII; prout ex eorumdem sequentibus bullarum summariis, et ipsius formulae contextu luculentius apparebit.

(12. *Summa bullarum summorum Pontificum pro editione Breviarii Romani.*

Pius V bulla quae incipit *Quod a nobis*, data Romae septimo Idus Julii, anno 1568, significat causam edendi hujus Breviarii,

(132) De Breviariorum restitutione ab Haymone facta, aliisque ad eorum historiam facientibus, consule Francisci Antonii Zacharia *Bibliothecam rituales*, t. I.

(133) Breviarium scilicet cardinalis Francisci Quignoni, de quo multa idem Zacharia, multa Faustinus Arealus in appendice ad praefatam *De hymnodia ecclesiastica* dissertationem, p. 385, seqq.

FERRAR. V.

nempe ad tollendam orandi varietatem. Enarrat ea, quae in hac re praestitere Paulus et Pius nomine quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit ex decreto concilii Tridentini.

Tollit, et abolet omnino Breviarium a card. S. Crucis compositum, quod erat brevissimum (133). Item alia Breviaria Romana, et alia, quae ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos (134).

¶ Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si episcopus et universum capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi, et psallendi more, et ritu praedictorum Breviariorum suppressorum.

Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione 200 annorum, de qua supra.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum, et detrahendum.

Obligat quosque, qui tenentur horas canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciunt muneri suo.

Jubet omnibus praelatis, ut hoc introducant, tam in choro quam extra chorum. Tollit peccati obligationem, quae erat recitandi in choro officium parvum B. M. V. et defunctorum, psalmos poenitentiales, et graduales, juxta rubricas Breviarii.

Hortatur, ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centum, recitantibus officium parvum B. M. V. et defunctorum; quinquaginta, recitantibus psalmos poenitentiales, et graduales, quando rubricae ea praescribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi officium parvum B. M. V. in choro; imo eandem confirmat (135), et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

Clem. VII, constitutione cujus initium *Cum in Ecclesia*, data Romae die 10 Maii 1602, declarat se per viros pios et eruditos Breviarium Romanum a pio V editum, et progressu temporis in multis depravatum examinasse, et in statum pristinum restituisse: illudque sic restitutum in typographia Vaticana imprimi, et divulgari jussisse. Prohibet, ne alibi imprimatur, nisi juxta exemplar Vaticanum, et habita ordinariorum licentia, sub poena excommunicationis latae sententiae (136). Interdicit usum Breviariorum impressorum absque tali ordinariorum licentia in scriptis, quae fidem faciat de

(134) Aboliveritne Pius V isthaec Breviaria jure Pontifici primatus an patriarchali, inutilis quaestio est. Hoc firmum esto, potuisse utroque jure. Vide ejusdem Zachariae dissertationem *De jure liturgico*, eidem tomo I *Bibl. ritual.* praemissam.

(135) De officio parvo B. M. V. egregie disserit Emmanuel de Azevedo v. cl., exercit. 71.

(136) Jure quidem. Sic etiam Missalis Piani omnia exemplaria post Edictum S. Pii alterata, inquit

collatione facta prædictorum Breviariorum cum originali Romano, cujus etiam licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Prædictis ordinariis prohibet, ne aliquid addi, vel detrahi permittant. Et hæc sub pœna excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu ecclesiæ; verumtamen in gratiam pauperum Breviaria hactenus impressa vendere, apud se retinere, ac illis uti permittit.

Urbanus VIII, constitutione quæ incipit *Divinam psalmodiam*, data Romæ die 25 Januarii 1631, declarat, se piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V editum, et Clemente VIII recognitum a pluribus mendis expurgasse, hymnos ad metri, et latinitatis regulas revocasse (137), in psalmis, et canticis interpunctionem Editionis vulgatæ restituisse, sermones, homilias, et sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse. Quamobrem jubet, ut juxta hanc correctionem, Romæ imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit. Adjungens easdem conditiones servandas in impressione eorum quæ a Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt missalia, diurnalia, officia parva B. M. V., officia majoris hebdomadæ, et alia ejusdem generis.

(13. Officium divinum dividitur in nocturnum, et diurnum, prout expresse habetur ex cap. *Dolentes* 9, De celebratione missarum, ibi: « Ut divinum officium nocturnum pariter, et diurnum; » et ex Clement. 1, De celebratione missarum, ibi: « Et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium. » (14. Per officium nocturnum intelligitur id, quod de nocte celebrari consuevit, et adhuc apud plures religiones, et regiones celebratur; et vulgo nuncupatur *Matutinum*, cui juxta morem Ecclesiæ Romanæ adjunguntur *Laudes*. Quamvis istæ olim in multis Ecclesiis fuerint a matutino separatæ, et adhuc nunc apud nonnullos religiosos ordines separantur: et posse licite, imo laudabiliter separari, fuit dictum sub verb. MATUTINUM.

(15. Per officium diurnum intelliguntur omnes aliæ canonicæ Horæ quæ de die sunt persolvendæ.

(16. Totum divinum officium dividitur jam fere communiter contra Navarr. et nonnullos alios in septem partes, seu septem Horas canonicas, nempe Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium (138), juxta illud Davidis *Psal. cxviii: Septies in die laudem dixi tibi.* « Qui septenarius numerus (sub-

Index librorum prohibitorum, præsertim quæ Venetiis apud Juncias, Sessas, Myserinum, et ad signum Sirenæ, atque Europæ, et quoscunque alios impressa sunt, vetita lectionis fuerunt sub Clemente VIII declarata. Vide Francisci Antonii Mondellii opusculum alias a me laudatum *De legitima canonis pronuntiatione.*

(157) Confer et hic Zachariam t. I *Bibl. ritual.*, et jam laudatam Arevali *De hymnodia Hispanica*

jungit concilium Agathense relatum in cap. 1, *De celebratione missarum*) a nobis impletur, si Matutini, Primæ, Tertie, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, et Completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus; nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ referamus.»

(17. Et hujus septenarii numeri Horarum canonicarum mysticam rationem assignat *Glossa* in cit. c. 1, De celebratione missar., verb. *Septenarius*, quia nempe septem sunt dies sæculi, id est quibus completa fuit creatio mundi, septem sunt ætates, quibus completis, finietur mundus, septem sunt petitiones in Oratione Dominica, septem sunt psalmi penitentiales, septem sunt diaconi, septem sunt candelabra, et præsertim septem sunt præcipua Dominicæ passionis mysteria, in quorum proinde commemorationem septem Horæ canonicæ recitantur, juxta illos vulgatos versiculos e *Glossa*, loc. c., relatos,

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis. Matutina ligat Christum, qui crimina purgat. Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis. Sexta cruci necit, latus ejus Nona bipartit. Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

(18. Obligatio recitandi divinum officium, seu Horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet ex titulo sacri ordinis, ex titulo beneficii ecclesiastici, et ex titulo religionis ehorro astrictæ. *Communis.* (19. Titulo sacri ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu Horas canonicas omnes majoribus ordinibus initiati, scilicet subdiaconi, diaconi et presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint astricti. *Communis.* De sacerdotibus, et consequenter de episcopis habetur in c. *Presbyter* 1, et cap. *Dolentes* 9, De celebrat. missar. De diaconis colligitur, ex cap. *Si quis Presbyter*, ultim., dist. 92. De omnibus etiam subdiaconis habetur expresse in concilio Basileensi sess. xxi, § *Quoscunque.* Quia tamen cit. cap. *Præcipimus*, ultim., dist. 92, non satis convincit de diaconis, et cit. concil. Basileense fuit acephalum et sine capite, adeoque non satis ex ipso inducitur obligatio de omnibus constitutis in sacris ordinibus, dicendum est obligationem recitandi divinum officium respectu diaconorum et subdiaconorum fundari in communi et antiqua Ecclesiæ consuetudine, vim legis secundum omnes obtinente; cum consuetudo legitime præscripta habeat vim legis, simulque ea sit

dissertationem pag. 134, seqq.

(158) Completorium primus Horis canonicis addidit S. Benedictus. Vide et hic Emmanuelem de Azavedo, exercit. 50, ubi recte a Bellarmini, et Gavanti sententia recedit, quorum ille Completorium a Basilio in regulis fuisse disputatis memoratum credit, hic ad Cassiani tempora hujus Horæ institutionem retrahit.

optima legum interpres, cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine.

(20. Obligatio recitandi Horas canonicas incipit a prima die, et hora suscepti subdiaconatus; ita ut ordinatus in subdiaconum teneatur recitare illas Horas, quæ correspondent horæ suæ ordinationis, sicque sua obligatio incipit a Sexta, vel Nona, si illo tempore, et hora fuit in subdiaconum ordinatus. *Communis.*

(21. Clerici in sacris constituti tenentur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, suspensi et interdicti. *Communis.* Nemo enim debet ex propria culpa, et iniquitate commodum reportare; cap. *Intelleximus* 7, De judiciis, ibi: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare; » et l. *Nemo ex suo*, ff. *De regul. juris*, ibi: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. » (22. Idemque propter eandem rationem censetur de degradatis, Navarrus, Sotus, Henno, Reiffenstuel, et alii contra alios volentes, clericos degradatos non obligari ad horas canonicas, ex quo ab Ecclesia spoliati sunt omni privilegio clericali, atque adeo ad statum mere secularem, seu laicalem, rejecti. (23. Idem pariter propter eandem rationem de damnatis ad trirèmes, et de incarceratis docent Henno, tom. I, *Tract. in Decalogi præcepta*, disput. 1, quæst. 3, conclus. 1, et alii plures contra alios volentes, ipsos non teneri ad talem recitationem; quod revera multum probabile est de damnatis ad trirèmes, et a fortiori de captivis apud infideles; non tamen de incarceratis; ut cum Tamburin. et aliis recte docet Sporer, tom. III *Tract. append. de Horis canonicis*, cap. 1, num. 9. Unde sacra congregat. Concilii diebus 13 Augusti 1707 et 18 Aug. 1708, et 15 Decembris ejusdem anni et 1719, noluit decidere, utrum damnatus ad trirèmes teneatur recitare divinum officium. Imo neque Clem. XI cui congregatio Concilii dubium reserandum reservat. Sic refert Ursaya in *I Miscellaneo sacro et profano*, litt. O, num. 42.

#### NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quamvis multum probabilis dici possit illorum theologorum opinio, quæ clericos ad trirèmes damnatos a recitatione divini officii eximit « quia, ut ait P. Concina, tom. II *Theol. Christ.*, diss. 2, q. 7, pag. 403, vix in tam misero statu implere hoc onus possunt, tum ob impedimenta continua, tum ob Breviarii privationem, tum etiam, quia Pontifex, dum eosdem tanto supplicio subicit, videtur eosdem a recitando officio tacite quodammodo dispensare, ne status religiosus (idem dicendum de statu clericali) opprobrio exponatur: » isthæc tamen opinio penitus falsa est de clericis carceri mancipatis, qui certo certius recitare debent horas canonicas, ut omnes fatentur.

#### RESPONSIO AUCTORIS.

Falsam esse opinionem, quæ clericos carceri mancipatos eximit a recitando officio, fateor et ego ipsissimo loc. cit., expresse

dicens: « non tamen de incarceratis, ut cum Tamburin. et aliis recte docet Sporer, etc. »

(24. Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem, tenetur adhuc probabilius ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem Pontificiam, quia dispensatio, utpote odiosa, stricte est explicanda, argum. cap. *Odia* 16, De regul. juris, in 6, et ipse adhuc characterem ordinis sacri retinet. Henno, loc. cit.; Busemb., lib. iv, dub. 2, *De Horis canonicis*, n. 1; La Croix, *ibidem*, num. 1186, cum Bonacina et Azorio ibi citatis, et alii plures contra Sporer, loc. cit., et alios.

(25. Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu Horas canonicas, beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, ut episcopi, abbates, archipresbyteri, præpositi, decani, parochi, etc., sive habeant beneficium non curatum, ut canonici, vicarii, capellani, alique beneficiarii simplices. *Communis*, per textum in cap. *Dolentes* 9, De celebratione missarum, et c. *Quia* 13, De rescriptis in 6, ubi expresse dicitur quod beneficium datur propter officium, ibi: « Officium... propter quod beneficium ecclesiasticum datur, » et constitut. 7 Leonis X, incip. *Supremæ dispositioni*, et const. 135 S. Pii V incip. *Ex proximo*, ubi expresse dicitur: « Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. »

(26. Et hanc beneficiatorum obligationem recitandi divinum officium non incipere a die, qua beneficium eis collatum est, et ab ipsis fuit acceptatum, sed solum a die obtentæ possessionis; dummodo per ipsos non stet, ne possessionem consequantur, sed bona fide illam habere conentur, tenent Flaminus Parisius, Rodriguez, Henriquez, Azorius, Lessius, Suarez citati, et secuti a Layman lib. iv, tract. 2, cap. 5, nu. 3, ubi dicit hanc opinionem esse in scholis, et praxi receptiorem, et ultra suprascriptos id defendunt Filiucius, Naldus, Molfesius, Menochius, Cajetanus, Philiareus citati, et secuti a Bonacina, *De Horis canonicis*, disp. 1, qu. 2, punct. 2, n. 2, et card. de Lugo, *Respon. moral.*, lib. v, dub. 3, num. 1; ubi ex Gavanto, in *Rubricis Breviarii*, sect. 1, cap. 4, num. 5, testatur de praxi, et consuetudine Romanæ curiæ. Sic etiam Sporer, tom. III *Tract. Appendic. de Horis canon.*, cap. 1, num. 22; Felix Potestas, tom. I part. II, c. 3, num. 490; Pontas, *Dictionar. cas. conscient.*, verb. *Offic. Breviarii*, casu 8, et alii plures, quos affert et sequitur Diana par. II *Tract. de horis canonicis*, resolut. 21. Et ratio est, quia solum tunc censetur quis proprie habere beneficium, cum ejus pacificam possessionem accipit, et habet: et colligitur ex constitut. Leonis X incip. *Supremæ*, et ex alia S. Pii V incip. *Ex proximo*, ubi imponitur beneficiatis obligatio restituendi fructus perceptos, si post sex menses ab obtento beneficio non recitaverint divinum officium. Fructus autem non recipiuntur ante